



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 84. Primum Ecclesiæ Romanæ decretum de hac festivitate

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

& a binis sui Ordinis Religiosis Leonardo Sæcul. XV.
de Nogarolis, & Bernardino de Bultis A.C. 1476.
concinnatum recitarent, easdem concessit indulgentias, quæ ab Urbano IV. & Martino V. summis Pontificibus concessæ fuerant in Corporis Christi solemnitate. Ecclesia tamen Romana exiguo ex post tempore præfatum officium omitti atque illud de Nativitate Beatæ Virginis subrogari præcepit.

§. LXXXIV.

Primum Ecclesiæ Romanæ decretum de hac festivitate.

Ante Bullam Sixti IV. Conceptionis immaculatæ festivitas libero, atque arbitrario fidelium cultui relicta, nec ullo firmata erat decreto, quo hæc solemnitas vel Romæ vel in Italia aut in Francia publice fuisset celebrata, donec Anno millesimo quadringentesimo trigesimo nono Concilium Basileense edita Constitutione hoc festum per universam Ecclesiam celebrari decrevisset. Cum vero Romæ hujus decreti nulla habita esset ratio, eoquod Eugenius IV. summus Pontifex Basileense Concilium tanquam schismaticum & illegitimum execraretur, summo jubilo præsens Sixti IV. Constitutio ab omnibus recepta fuit, estque de festo immaculatæ Conceptionis omnium prima

Richer. Conc. general. l. 3. c. 3. p. 140. & 146. Gavant. rubr. fest. part. 2. p. 139

Sæcul. XV. prima, quam ab Ecclesia Romana con-
 A.C. 1476. ditam fuisse novimus. Celebratur hoc
 festum sub ritu duplici, nec tamen de
 præcepto; plurimis nihilominus ditatum
 est indulgentiis. Scribunt nonnulli, sed
 solida ratione destituti (*), a Sixto Pon-
 tifice hoc festum cum Octava fuisse insti-
 tutum, qua tamen successu temporis au-
 ctum est, licet Adventus solemnitas ob-
 stare videretur.

§. LXXXV.

*Varia edicta Ludovici XI. de Epi-
 scopis & Religiosis.*

Hoc eodem anno die octava Januarii
 Ludovicus XI. Galliarum Rex edi-
 ctum promulgavit hujus tenoris: Regi-
 bus Franciæ a Concilio Constantiensi fa-
 cta est facultas, ut Generalis Synodi
 convocationem a summo Pontifice petere
 possent; cum vero ejusmodi Synodus ob
 bello-

*Bouchel in
 decret. Eccles.
 Gallic. lib. 5.
 tit. 20. c. 38.
 Preuv. des li-
 bert. de l'ec-
 clif. Gallic.
 tom. 1. p. 430.
 & seq.*

(*) *Ex ipsa sanctione Sixti IV. patet, in-
 quit Pagius in suo Breviario ad hunc annum
 num. 39. absque fundamento Continuatore
 Hist. Eccles. Abbatis Fleury scribere, Sixtum
 Octavam Conceptionis non instituisse; nulla
 enim insumpta opera Spondanum transcripsit,
 & Constitutionem Sixti non perlegit, in qua
 de institutione Missæ, Officii & Octavæ Con-
 ceptionis fit mentio.*